

currente, conformiter subsequens.

37. Unde quæ vult Deus *necessariò* fieri, etiam fiunt *necessariò*.

38. Et quæ non vult nisi *liberè ac contingenter* fieri, etiam non fiunt nisi *liberè & contingenter*.

39. Quare quæ vult *liberè* fieri, *possunt* reverá hactenus etiam *non fieri*.

40. & aliquando *non facta* sunt, *nec fiunt*.

41. *Volitionem* enim *volitionis liberæ*, *necessariò* semper impleri, *contradictorium* est.

42. At hæc ipsa etiam quæ ita vult fieri, & non fiunt; et si *uno respectu*, ab *ordine voluntate Dei sancito* *abeunt*;

43. *alio tamen respectu*, in *ordinem* ab *eadem sancitum* *necessariò* *recidunt*:

44. ut hoc pacto in ipsâ *creaturarum* etiam *confusione*, suum rursus *ordinem*, quasi in *mare* *viam* ponat.

45. Unde ea quæ *fiunt* *uti* vult Deus, *causatur* *proprie*: